

Arminii Fritzscheii

Lipsiensis

epistula critica ad

Theodorum Fritzscheium

Gustroviensem

de Theocriti carmine aeolico nuper a Th. Bergkio edito.

Magno me gaudio affecerunt tuae, mi Fritzsche, litterae nuper ad me Gustavo missae, quibus de carmine Theocriti recens a Guil. Studemundio Mediolani in bibliotheca Ambrosiana invento et a Theodoro Bergkio in indice scholarum in Vnivers. Halensi per hanc hiemem habendarum edito egisti multumque contulisti ad intelligendum carmen quum ob alias res tum ob nova quaedam vocabula (v. 2. 7. 29) memorabile. Nec melius me gratias tibi agere posse intelligo quam si de carmine, in quo multa corruptissima habentur, quid ipse sentiam exposuerim. Itaque hac oblata occasione carmen totam recensui, non quo de rebus dubiis tecum litigarem nec quo Bergkio palmam meritam eriperem — ille enim, utpote editor carminis, tanta fuit religione ut, quum graeca ad codicis fidem quam maxime accommodare studeret, quasdam coniecturas suas egregias et haud dubie veras in adnotationibus commemorare quam verbis poetae inserere maluerit —, sed ut tamquam unus coniector significarem cum quadam probabilitatis specie, quid potuisset scribi a poeta, non quid necessario debuisset. Nam in rebus tam incertis, quales hic multas habemus, incensis aliorum ad indagandum studiis, a probabilibus — vel, si dis placet, a temerariis — perveniri solet ad vera atque solida. Ac magnam hercle a me gratiam inibunt Ahrensii, Ameisii, Buecheleri, Koehlyi, Meinekii, Theocriti illi iuxta Bergkium sospitatores, si provocati hac nostra quasi velitatione nos meliora edocuerint. Et quoniam oblitus quodam modo personae eius, quam in critica factitanda hucusque sustinui et contra praeceptum Aristotelis mei nunc aliquando a posse ad esse commendare conclusionem quandam decrevi, adieci etiam interpretationem latinam, ut homines doctos ad carmen legendum allicerem. Itaque sic habe.

ΘΕΟΚΡΙΤΟΥ ΠΑΙΔΙΚΟΝ.

Ῥῖαι τῷ χαλεπῷ καινομόρῳ τῷδε νοσήματος!
 Τετροταῖον ἔχει παῖδος ἕρος μῆνά τε δευτέρου,
 Κάλω μὲν μετρίως, ἀλλ' ὀπόσων τῷ παιδί πρέπει

- Ἴσπνίλοις παρέχειν, οὐδὲ τόσον λισσομένῳ φέρει.
 5 Καὶ νῦν μὲν τὸ κάκον ταῖς μευ ἔχει τλησιπόνους φρένας.
 Ἄπαν τοῦτο χάρισμ', αἶ τι παραναῖαι γλυκὴ μειδίαι.

Τάχα δ' οὐδ' ὅσον ἴπνω ἰπιτήχην ἔσσει' ἐρωΐα.
 Ἐχθρὸς γὰρ παριῶν ἐδρακε κλέπτ' ἄμμε δι' ὀφρύων,
 Αἰδεσθεῖς ποτίδην μ' ἀντίος, ἠρενέθετο δὲ χροά.

- 10 Ἔμεθεν δὲ πλέον τᾶς κραδίης ὡ ῥος ἐδράξατο,
 Εἰς οἶκον δ' ἀπέβαν ἔλκος ἔχων καὶ τὸ κέαρ δακῶν.
 Πόλλα δ' ἐγκαλέσαις θῦμον ἐμαυτῷ διελεξάμαν

- „Τί δὴ ταῦτ' ἐπόης; ἄλλοσύννας τί ῥοσχατον ἔσσειται;
 Δεύκας οὐ συνήσθ' ὅτι φόρεις ἐν κροτάφοις τριχάς;
 15 Ὡρά τοι φρονέειν! μὴ τὴ τι νέος τὰν ἰδέαν πέλη;

Πάντ' ἔρδ', ὅσσα περ οἱ τῶν ἐτέων ἄρτια γενόμενοι.
 Καὶ μὰν ἄλλος ἐλάσθη τὸ δ' ἄρ' ἦς λῶϊον, ἔμμεναι
 Ξεῖνον τῶν χαλεπῶν παῖδος ἐρώτων καὶ ἐλευθερον.

- Τῷ μὲν γὰρ βίος ἔρπει προγόνοις ἴσ' ἐλάφῳ θόας,
 20 Ἀλλάσσει δ' ἐτέρῳ ποντοπόρῳ ἀῦριον ἄμερος.
 Νῦν δ' αὐτῷ γλυκερᾶς ἀνθεμον ἄβας πεδ' ὑμαλίκων

Μέλει τοὶ δ' ὁ πόθος κατ' τὸν ἔσω μύελον ἐσθίει
 Ὅμιμνασκομένῳ, πόλλα δ' ὄρης νικτὸς ἐνύπνια.
 Παύσασθαι δ' ἐνιαυτὸς χαλεπᾶς οὐκὶ δῶας ἄλις.“

- 25 Ταῦτα χᾶτερα πόλλα προτ' ἔμον θῦμον ἐμεμψάμαν.
 Ὅ δὲ τοῦτ' ἔφατ' „ὅττις δοκίμοι τὸν δολομάχανον
 Νικάσειν ἔρον, οὗτος δοκίμοι τοῖς ὑπὲρ ἀμμέων

- Ἐθρεῖν βραιδίως ἀστέρως ὀπποσσάκις ἐννέα.
 Καὶ νῦν εἴτ' ἐθέλω, χορή με μάκρον σχόντα κατ' ἄμμενα
 30 Ἐλκειν τὸν ζῆγον, εἴτ' οὐκ ἐθέλω. ταῦτα γάρ, ὄγαθέ,

Βούλεται θεός, ὃς καὶ Διὸς ἔσφαλε μέγαν νόον
 Καῦτας Κυπρογενήας. ἔμε μὰν, φύλλον ἐπάμερον,
 Σμίχρας δεύμενον αὔρας, τὸν ἔρον πῶς αἴκες φορεῖν;“

THEOCRITI CARMEN AMATORIVM.

Heu quam triste mihi, quam miserum hoc, quo pereo, malum !
 Per bimestre me amor iam pueri ac quadriduum tenet.
 Formosus puer est, per Venerem ! nil tamen ille dat

- Horum, quae puerum gratificari ingenuo decet.
 5 Et nunc hocce malum perpetuo corde gero meo.
 Summa est gratia, si forte genae mollia riserint.

Ne sopore quidem parva mihi mox requies erit.
 Limo praeteriens intuitus nos oculo est heri,
 Nec recto, steteratque ante genas virgineus pudor.

- 10 Meum sed cruciat pectus amor maior et acrior,
 Ac domum petii moestitiae vulnus alens grave.
 Et multum increpitans sic animum corripui meum :

- „Eia, dic quid agas ! Ecquis erit finis ineptiis ?
 Canas temporibus nonne vides esse tuis comas ?
 15 Tandem sis sapiens ! Num facies est iuvenis tibi ?

Haec tandem meditere, his studeas, quae senium decent.
 Obliviscere ! Nam profuit hoc saepe aliis viris.
 Felix ille quidem, quem pueri nullus amor trahit.

- Illi namque hilare est vita fluens inulei citi,
 20 Sed mutabit et hanc atque alii velificabitur.
 At nunc hunc iuvenum laeta iuvat turba sodalium :

Te desideriiis urit adhuc flamma medullitus
 Curarum ! Miserum somnia te nunc male habent vaga.
 Vix anni spatium te recreet, ni sapias cito.“

- 25 His multisque aliis ipse animum corripui meum.
 Contra sic animus : „vir bone, qui vincere se putat
 Posse callidulam progeniem Cypridis, hic putat

- Posse dicere quot caelum habeat milia siderum.
 Et nunc, sive velis, colla iugo subdere te gravi
 30 Fas est, seu fugias. Sic etenim complacitum est deo

Callenti insidiis fallere vel magnum animum Iovis,
 Atque ipsam Venerem. Cur igitur me, folium breve,
 Auraeque exiguae, ferre iugum turpe Cupidinis ?“

En tibi Sicelides Musae ab Arethusa ad Plissam citatae.

Antequam de rebus singulis dicere incipio, haec praemonere placet. Mirum sane videri potest, quod in codice Mediolanensi (c. Ahr. = C Dorvill. = Mediol. 3 Ziegl.) codicibus aliis (k. p. Ahr.) inferiore hoc tamen carmen una cum id. XXVIII et XXIX aeolicis servatum est. Quae res ad constituendos fontes et familias codicum magni momenti est. De fide librarii ipsius in hac certe operis parte conspicua tu, mi Fritzschi, p. 7 dixisti. Verum ea est rerum conditio, ut ad coniecturas capiendas latissimus campus pateat.

Carmen ipsum integrum esse existimo nec quidquam tribuendum mendo in ipso principio carminis (*καί*) conspicuo.

Auctor carminis haud dubie Theocritus habendus est. Rem planam fecit Bergkiius p. XVI. Itaque in hac quam nunc curo editione Theocriteorum idyllium erit tricesimum propter maximam idyllii XXIX similitudinem. Idem poetae illi, qui id. Theocriteum XXIII composuit — Moscho credo — notum fuisse non est incredibile. Apud Vergilium nulla imitationis vestigia reperi: nisi forte illa de Ecl. secunda (v. 5) „studio iactabat inani“ cum v. 13 huius carminis sociare et Aeneid. IV, 66—67 ad versum 11 (*ἔλκος*) et 22 (*μύελον*) applicare placuerit. De Horatio — *ἐπέχω*. Nam si minus res, at metrum certe et Theocritus Alcaeo debuit et poeta Venusinus. Leges metri non tam severas Theocritus sibi scripsit quam Horatius, qui quidem ubicunque hoc metro usus est (Od. I, 11. I, 18. IV, 10) binas caesuras versus esse voluit — neque enim Od. I, 18, 16 „per-lucidor“ exceptio putanda est —, neque fecit cum Catullo, qui in brevi illo odario XXX quinques (v. 5. 6. 9. 10. 11) caesuram alteram utram neglexit. Idem ad exemplum Sapphonis (frg. 68 *φοιτάσεις πεδ' ἀμάνθων νεκίων ἐκπεποταμένα*) et Alcaei (cfr. e. gr. frg. 39) Theocritus v. 6. 7. 9. 12. 17 (18?) 19. 21. 24. 25. 26. 28. 32. 33 sibi permisit et in idyllii XXVIII v. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 11. 12. 14. 15. 18. 20. 21. 23. 25.

Dialecto carmen aeolica, eadem qua id. XXVIII et XXIX, conscriptum esse apparet. Cuius dialecti quae leges fuerint et regulae accurate ab editore observandae uberius in editione mea loco suo exponam. Interim, quum nova haec omnia sint et adhuc mustea, te Bergkiumque imitatus inconstantiam cod. vel in psilosi (quum tamen e. gr. v. 32 *ἐπάμερον* et v. 26 *ὄττις* — *ἔφατ' ὄττις* — manifestum sit) conspicuam nondum evitavi et ex parte in his, quae Bergkiius p. XIII diligenter et caute disputavit, acquiesco.

Quod attinet ad formam carminis universam, binorum strophis versuum id tu quidem conscriptum esse sumpsisti: mihi — si versum tertium non esse integrum et particulas versuum

excidisse vere conieci — ternorum versuum comprehensiones fuisse videntur, quales et in idyllio tertio videmus, et Hesiodi theogoniae antiquissimae Koechlyus, *de Hes. theog.* p. 12, vindicavit. *Καὶ ταῦτα μὲν ταύτη.*

Versus primus, qui Tibullianum illud (I, 4, 81) „heu heu quam Marathus lento me torquet amore“ in memoriam revocat, in codice sic scriptus est:

καὶ τῷ χαλεπῷ κάνομόρω τῶδε νοσήματος.

Quemadmodum autem ἀρχομένον ἔργον πρόσωπον χρῆ θέμεν τηλανγές, ita vere Bergkiius versui primo pristinum nitorem restituit pro καί voce aeolica ᾠαί posita. Tibi, mi Fritzschi, potius αἰαῖ τῷ χαλεπῷ κτλ. scribenti, concedo quidem, unicuique, qui Theocriti lectione imbutus sit, simillimi versus Theocritei, id. IV, 40 (*αἰαῖ τῷ σκληρῷ μάλα δαίμονος*), ad quem tu pag. 6 pronocas, in mentem esse venturum. At si fuit vera in archetypo scriptum αἰαῖ, cur hoc in καί mutare scriba voluerit, non intelligitur: cur idem ᾠαί, rarum vel potius obscurum vocabulum, vitiosum duxerit et in καί mutaverit, facile intelligitur. Nisi forte, id quod saepe factum videmus, oblitteratis in initio carminis primis elementis in codice . . αἰ exstitit, pro quo καί erat in proclivi. Contra tu verissime damnandum ipsum vocabulum καί iudicas neque facile fore quemquam statuis, qui hanc copulam servandam et initium carminis perisse existimet. Aptè idem cum verbis χαλεπῷ νοσήματος verba Simaethae, id. II, 95, εἰ' ἄγε Θεστυλί μοι χαλεπᾶς νόσω εἰρήε τι μᾶχος comparas, cui praeter Pseudotheocr. XXVII, 28 nunc Anth. V, 4, 5 — ἄγρονπον χαλεπαὶ τείρουσι μέριμναι addere placet. Quamquam fateor primo me ad spectu esse vocabulo νοσήματος offensum, donec recordatus sum versum Sophocleum Theocriteo simillimum, a Stobaeo, flor. LXIV, 13, servatum, a Meinekio ita scriptum: τὸ γὰρ νόσημα τοῦτ' ἐφίμερον κακόν (Dindorfius quidem, frgm. Soph. 162, νόσημ' ἔρωτος τοῦτ' ἐφίμερον κακόν). Nam ipsa animi perturbatio, qua auctor ille noster concitatus est, hic describitur: contra Simaetha idyllii secundi corpore est affecto, morbo re vera consumpta (cf. id. II, 85 ἀλλά με τις καπυρὰ νόσος ἐξάλαπαξεν — ita enim versus scribendus est —).

V. 2 codex mendose sane ita exhibet:

τετορταῖς ἔχει παῖδα ἔρωσ μῆνα δεύτερον.

Tu quidem Bergkii coniecturis receptis scripsisti

τετορταῖος ἔχει παῖδος ἔρωσ μῆνά με δεύτερον.

Ac παῖδος quidem quin scriptum fuerit non est dubium, et in idem, ubi primum carmen, quale codex praebet, legi, ego incideram. Tum ἔρωσ propter v. 10 et 27 et Theocr. XXIX, 22 scribere malui. Verum ne μῆννα (cf. Ahrens. dial. aeol. p. 61)

sciberem, dehortata est me Bergkii adnotatio p. VII. Quod autem vos quoque restituistis *τετορταῖος* vocabulum, Bergkiius, cuius tu sententiam probas, his verbis explicat: „dicit poeta se pueri amore iam secundum mensem tanquam febris (*πυρετῶ τερταῖω*) laborare“. At quamquam latine quartana dicitur febris quartana, et addito etiam adiectivo Horatius (Sat. II, 3, 290) „frigida si puerum quartana reliquerit“ scripsit, tamen auctoritate scriptoris graeci haec vocis novae et a thesauris nostris adhuc alienae significatio ita destituta est, ut ei ne in simili quidem voce ὁ *τριταῖος*, satis patrocinii positum esse videatur. Tertianaria quidem febris *τριταῖος* a Dioscoride II, 72 (*-λέει καὶ τριταῖους*) vocatur, sed Plato, Tim. p. 38, A, hoc sensu idem vocabulum propterea, quod *πυρετός* paullo ante dixerat (*πυρετούς ἀπεργάζεται — τριταῖους δ' ὕδατος κτλ.*), facilius adhibere potuit. Denique si voluisset hoc loco febris quartanae notionem Theocritus huic vocabulo subiicere, necessario comparationem illam, quam moliebatur, addita particule ὡς planam facere debebat. Ita non solum mihi visum est, sed etiam Curtio, collegae optimo, qui multa mecum de hoc carmine egit, et Kreussler o Misnensi, amico carissimo, qui praeclara quaedam de hoc carmine mihi suppeditavit. Quare hoc potius dictum esse existimo: „duos iam menses et quattuor dies pessimus me pueri amor cruciat“. Nam quemadmodum Homerus, Odyss. ζ 170 *χθιζὸς φήγον οἶνοπα πόντον* ac similia dixit, ita Theocritus id. X, 12 *ἔραμαι σχεδὸν ἐνδεκαταῖος*, id. II, 4 et II, 157 *δωδεκαταῖος*, posuit. Denique similima est computatio dierum id. XIV, 44 sqq. Huic denique adde numeros urbium, id. XVII, 82 sqq. artificiose indicatos. De verbo *ἔχει* bene id. II, 96 comparasti. Nec absimile est id. IV, 40. Quod si offenderis pronomine *με* omisso, cf. Hor. Od. IV, 1, 5—6, vel, nisi forte digamma vocis *εἰκελος* tibi molestum est, per me scribas licet *τετορταῖος ἔχει παῖδος ἔρος μαινάδι μ' εἰκελον*.

V. 3 misere corruptus est. Valet autem, si quid video, etiam de hoc loco id, quod vere Koechlyus *de carm. Theocr. in stroph. suas rest.* p. 7 dixit de universis Theocriti carminibus, plus ea lacunis esse quam additamentis librariorum foedata. Duos igitur versus primitus fuisse suspicor, quorum haec fere, quam graecis verbis indicavi, sententia fuit: — „tenet me amor pueri, satis illius quidem pulcri, sed quae amatori puerum gratificari decet, horum nihil mihi, quamquam, „querelis supplicibus“ (Tibull. I, 4, 71) expetitus, morigeratur. Nam *μετριῶς* est hoc loco formam pueri laudantis, quasi dicas: pulcer ita ille est, ut par est, hoc est valde pulcer. Cf. Plat. Phaedr.

p. 236, *Α μετρίως γάρ μοι δοκεῖς εἰρηκέναι.* Rep. VII p. 518 B. III, p. 390, E. al. Ac, nisi fallit memoria, apud aliquem scriptorem graecum hoc ipsum *μετρίως καλός* inveni. Nunc frustra locum istum quaesivi. Quum vero hariolari liberet, *ἰσπνίλοις* propter Theocr. XII, 13 (ubi *ἰσπνίλος* pro *εἰσπνήλος* — Mein. al. — e cod. p. cet. Ahrensius restituit), *λίσσομένοις* propter Alcaeam (frgm. 46 Ahr. *δέξαι με κωμάσδοντα, δέξαι, λίσσομαί σε, λίσσομαι*) posui. Formam vulgatam *μετρίως* servavi, quamquam Bergkius *μετέρως* p. VIII probabiliter coniecitavit. Tu transponendis versibus vulnus sanare studuisti, Bergkius leniore medicina usus est. Nam codicis quidem haec verba sunt:
κάλω μὲν μετρίως ἀλλ' ὅπόσον τῷ παιδί περιέχει.

Ex his elegantem sane hunc Bergkius finxit versum:

κάλω μὲν μετρίως, ἀλλ' ὅπόσον τῷ παιδί πρέπει.

Ac verbum *πρέπει* aliquo loco scriptum fuisse, etiam Kreuzslerus meus existimat, qui quidem in solo *περι* id delituisse adscribit. Tu, mi Fritzschi, post hunc versum locato versu eo, qui quintus est in codice, mihi vero sextus fuisse videtur, haec sic conformavisti:

*κάλω μὲν μετρίως, ἀλλ' ὅπόσον παῖδα πέριξ ἔχει
ταῖς γὰς, τοῦτο χάρις, ταῖς δὲ παραύαις γλνκὺ μειδίαι.*

Sic hoc significari p. 11 scribis: „quidquid terrae puerum circumdet, spirare gratiam, h. e. puerum si minus *pulcrum*, at mira saltem quadam gratia et suavitate venustum esse“. Sed, ut ingenue fatear, quam sententiam verbis *κάλω μὲν μετρίως* inesse vos ambo dicitis („puero“ — ut Bergkius p. VII scribit — „mediocrem esse formam decorem, sed eum, qui puero conveniat“), haec parum mihi laudis continere videtur et concitatae menti amatoris plane repugnare. Nam est ille, „crudelis adhuc“ puer haud dubie „Veneris muneribus potens“ (Hor. Od. IV, 10, 1), hoc est pulcer si quis alius. Nisi forte „naevum“ illum, qui „in articulo pueri delectat Alcaeam“ (Cic. N. D. I, 28, 79), quod illi lumen videbatur, apud animum informamus aut Horatii, Sat. I, 3, 38—40 verba comparamus. Aptius tamen laudari omnibus nominibus in tali causa existimo amasium, quem admodum e. gr. Q. Catulus apud eundem M. Tullium cecinit:

Pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra:

Mortalis visus pulerior esse deo.

Itaque particulam *ἀλλά* talia intulisse arbitror, qualia indicat versus imitatoris Theocritei, id. XXIII, 2:

*ἀνὴρ τις πολύφιλτρος ἀπηνέος ἦρατ' ἐφάβω,
τὰν μορφὰν ἀγαθῶ, τὸν δὲ τρόπον οὐκ ἐν ὁμοίῳ,*

Ita enim nunc illum versum emendo. Cf. id. XXII, 212 *ἐν ἔλα-*

φρῶ: XXII, 61 ἐν ἐτοίμῳ. Ovid. art. am. I, 562 (in facili est) Weissenborn. ad Liv. praef. 3 (fama in obscuro est).

V. 5 quae scripsi, ea ex parte certe latent in verbis istis codicis:

καὶ νῦν μὲν τὸ κακὸν ταῖς μὲν ἔχει ταῖς δ' οὐ.

Pro τλησιπόνοις φρένας quid vere scriptum fuerit, Oedipus viderit. Accusativos aeolicos (ταῖς, id quod manifesto in codice exstat, et τλησιπόνοις) habemus etiam Theocr. XXVIII, 20 (λύγραις) XXIX, 29 (ἐπωμαδίαις, quo ducit codicis nostri l. v. ἐπωμασίαις), XXIX, 39 (ἀλλεῖταις θύραις), XXVIII, 10 (ἀνδρεῖοις πέπλοις), XXVIII, 12 (μαλάκοις πόκοις), XXVIII, 16 (δόμοις), XXVIII, 20 (νόσοις). Cf. Hirzel. dial. aeol. p. 50, Ahr. dial. aeol. p. 71 sqq. et exempla, quae nunc habemus in tabula Conzii (Lesb.), XXII A. 4. 7 (τοῖς μὲν πολίταις) cet. Ac τοῖς quidem Bergkius v. 27 restituit. Fortasse tamen erunt, qui Bergkii praeferant emendationem p. V exhibitam

καὶ νῦν μὲν τὸ κακὸν ταῖς μὲν ἔχει, ταῖσι δέ μ' οὐκέτι, qua quidem hoc significari scribit vir doctissimus: „modo hoc malo vexor, modo liber a morbo sum“. Tu illud, quod ipsi Bergkio p. VIII minus arridet, scribere maluisti:

καὶ νῦν μὲν τὸ κακὸν ταῖς μὲν ἔχει, ταῖσι δέ μ' οὐκ ἔχει. Alia quoque posse tentari Bergkius ipse concedit. Nunc dum meliora inventa fuerint, has meas fac aequi boni symbolas.

V. 6 extremis verbis id repraesentat, quod est apud Ovidium, art. am. III, 513 „ridenti mollia ride“, ne commemorem „dulce ridentem“ Lalagen Horatii. Nam haud cunctatè meam feci palmarem coniecturam Bergkii — παραύταις γλυκὴν μειδίαι, mutatis tamen primis versus vocabulis, de quibus Bergkius ipse p. VIII dubitanter loquitur. Codex haec habet:

ταῖς γὰς τοῦτο χάρις. ταῖς δὲ πζαύταις γλυκὴν μειδίαιμ8
Hinc versum totum Bergkius sic scripsit:

ταῖς γὰς τοῦτο χάρις. ταῖς δὲ παραύταις γλυκὴν μειδίαι.

At ipse duriusculum esse dicit p. VIII, quod, quum modo hoc „terra haec mihi hoc malum gratificata est“ quasi hospite in aliena civitate commorante et ibi in amorem coniecto dictum sit, continuo ipsius pueri decor ille describatur, quo se totum amator irretitum profitetur. Ego vero, si terra illa peregrina poetae commemoranda videbatur, pluribus verbis id faciendum fuisse existimo. De tua, mi Fritzschi, huius versus conformatione supra dictum est. Meliorem fortasse etiam viam ad emendandum locum indicavit Kreusslerus, qui in litteris ad me datis haec scripsit, quae libenter ipsius permissu publici iuris facio. „Fortasse, inquit, ἀγγας τοῦτο χάρις. Iam debebat relative continuare orationem, sed poetico more abstinuit hoc genere. Sententia haec est „oculorum hoc est meritum et quod

genae dulce rident“. Denique idem vir doctissimus haec addidit: „non ausim τᾶς αὐγας τὸ χάρις secundum Homeri (T 63) usum Ἐκτορι μὲν καὶ Τρωσὶ τὸ κέρδιον“.

V. 7 addita lineola ita a Bergkio constitutus est, ut addi nihil possit. Videlicet pro πινύχην in codice legitur πινύχην. Hoc tamen non tua, sed aliorum hominum doctorum causa moneo, novum illud, sed optimae — id quod Bergkii planum fecit — notae vocabulum ἐρωῖα (h. e. ἐρωή, vel potius ἐρωή) dignum esse quod lexicis nostris inseratur. Ceterum sententia memoriam replicat Theocriti X, 10, οὐδαμὰ νυν συνέβα τοι ἀγρυπνήσαι δι' ἐρωτα; et Catulli LXVIII, 5 (quem neque sancta Venus molli requiescere somno — perpetitur) et Horatii, Epist. I, 2, 37 (invidia vel amore vigil torquerere).

Vss. 8—9 in codice sic scripti sunt:

ἐχθρὲς γὰρ παριῶν ἔδρακε λεπτὰ μελιφρόνων
αἰδεσθεῖς ποτιδὴν ἀντίος ἠρέυθετο δὲ χροά.

Orestes quidem Euripideus (Or. 225 Nauck.) dicit ἀχμώδη κόμην ἄφελε προσώπων· λεπτὰ γὰρ λένσσω κόραις. Et ille quidem iure sic dicere potuit. Alia mihi — quod pace tua dixerim — huius loci ratio esse videtur, ubi de furtivo quodam adspectu agitur. Quare recepi emendationem Kreussleri, Arist. Vesp. 900 (κλέπτον βλέπεν) comparantis, et praeter haec, quae dixi in adn. ad Theocr. I, 96 cum nostro versu Ibyc. frg. 2 (Ἔρος κτανέοισιν ὑπὸ βλεφάροις τάκερ' ὄμμασι δερκόμενος) confero. Pronomen ἄμμε et proxima (δι' ὄφρον) debeo Bergkio, qui tamen ὄφρονων non plane spernendum existimat totumque versum sic scriptum edidit:

ἐχθρὲς γὰρ παριῶν ἔδρακε λ' ὄξ' ἄμμε δι' ὄφρον.

Nam Pseudotheocritus, id. XX, 12, dixit χεῖλεσι μυχθίλοισα καὶ ὄμμασι λ' ὄξ' βλέποισα. Vtique accusativus pronominis aegre desideraretur. Quare minus mihi placet quod tu, Fritzschi, scripsisti: — ἔδρακε παῖς λεπτὰ δι' ὄφρονων. At eadem de causa te secutus v. 9, ubi plane nihil mutatum a Bergkio est, ποτιδὴν μ' ἀντίος posui.

V. 10—12 codex haec habet:

ἔμεθεν δὲ πλέον τᾶς καρδίας σωρός ἐδρῶξάτο
εἰς οἶκον δ' ἀπέβαν ἔλκος ἔχων καὶ τὸ
πολλὰ δ' εἰςκαλέσας θυμὸν ἔμαντοῦ διέλεξε.

Purgavit haec Bergkio, qui quidem v. 10 καρδίας ὠρός et v. 12 διέλεξάμαν, ut tu quoque scripsisti, optime coniecit, sed v. 12 εἰσκαλέσας, tibi quoque probatum, retinuit, pro quo ego ἐγκαλέσαις (Hor. Sat. II, 3, 257 „correctus voce magistri“) malui scribere. De forma aeolica participii nunc ea etiam exempla, quae in inscriptione Conzii (Lesb.) tab. XII, A 12 (διαρπάξαις), tab. XII, C, 11 (ἀποστέλλαις) legimus, comparari possunt. —

Verba versus 11 ἔλκος ἔχων Theocritum auctorem arguere videntur: cf. id. XI, 14 ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἔλκος Κύπριδος ἐκ μεγάλας. Similiter Bion I, 17, μεῖζον δ' ἂν Κυθήρεια φέροι ποτικάρδιον ἔλκος. Verg. Aen. IV, 67 tacitum vivit sub pectore vulnus. Ovid. Her. XV, 276 (Merkel.). Stat. Achill. I, 639 quonam usque premas urentia pectus vulnera? Calpurn. XI, 12 sic sua desertis nudarunt vulnera silvis. Eundem versus extremum Bergkii participio τεθολωμένος (εἰς οἶκον δ' ἀπέβαν ἔλκος ἔχων καὶ τεθολωμένος) supplevit, ubi tu servato articulo, qui in codice comparet (τό) καὶ τὸ δέμας τακεῖς coniecisti. Servandum istum articulum ego quoque existimo, sed de participio τακεῖς dubito. Quare id, in quod Curtius noster incidit, κέαθ, addito ex mea coniectura participio δακῶν (cf. Theocr. XII, 25. Hesiod. ἔργ. 451 κραδίην ἔδακε. Piad. E. 493. Arist. Ach. 1 et Iliad. Z 201 ὄν θυμόν κατέδον) exhibui. — Denique v. 12 θυμόν (cf. v. 25) posui et ἐμαντῶ aptius a te scriptum iudico, quam ἐμαντιῶ (Bergk.). Neque inutile est comparare Homericum, Od. ε 298, ὄχθήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὄν μεγαλήτορα θυμόν, vel Archilochi versum (frg. 68) θυμέ, θυμ' ἀμηχάνοισι κήδεσιν κνωάμενε, vel Theogn. 1029 Bergk., τόλμα θυμέ κτλ.

V. 13 partim Bergkii, partim Kreussleri sagacitate instauratus est. Quum enim in codice haec legantur:

τί δὴ ταῦτ' ἐπόησ' ἄλοσίνας· τί ἔσχατον ἔσεται,

Kreusslerus prima verba sic interpuncta τί δὴ ταῦτ' ἐπόησ'; (cfr. Ahr. dial. aeol. p. 144 Bergk. p. XI) optime dici me docuit, dummodo hoc pacto ea interpretemur: „quid est hoc, quod per hoc tempus (per hos menses) faciebas? quis finis erit vesaniae?“ Adscripsit idem verissime, „in plurali (ταῦτα) non haerendum. Quid enim frequentius quam haec: τὰ τί; ταῦτα τί ἐστίν; Alloquitur autem se ipsum vel animum suum“. Bergkii vero, qui p. V textum verborum magis ad ductus litterarum applicaverat (ibi enim τί δὴ τοῦτ' ἐπόησ'; ἄλοσίνας τί ἔσχατον ἔσεται; edendum curavit), p. IX ἄλοσίνας Aeolensium more et τί ἔσχατον aphaeresi aliis etiam exemplis probata (velut supra v. 7 ὕπνω πινύχην) scribendum esse demonstravit. Qui tibi, mi Fritzschi, restat p. 12 scrupulus, eum natura interrogatavi pronominis semper cum vi quadam vehementius prolati removeri existimo. Et haec quidem causa est, ob quam nondum adducar, ut hoc, quod tu quisipisti

τί δῆτ' αὐτοποῦς ἄλοσίνας τῷσχατον ἔσεται;

et doctissime exemplis probare studuisti, superioribus illis antepo-
nam.

V. 14 extremo *τρίχας* eleganter a te emendatum esse omnes concedent. Codicis enim haec verba sunt:

λεύκας οὐκ ἐπὶσθησθ' ὅτι φόροις ἐν κροτάφοις τρία.

Hinc tu duce ex parte Bergkio (p. IX)

λεύκας οὐ συνέτησθ' ὅτι φόροις ἐν κροτάφοις τρίχας;
scripsisti. Bergkiius contra

λεύκας οὐκ εἰδήσθ', ὅτι φόροις ἐν κροτάφοις τρία;
edidit, ut hic esset sensus verborum: „nonne vides te tres canos capillos in temporibus gestare?“ Mihi vero maxime placet coniectura Kreussleri *λεύκας οὐ συνέτησθ'* —, quamquam Curtio *λεύκας οὐκ ἐπὶσθησθ'* — visum est praestare.

V. 15 hoc dicitur: „resipisce tandem! num tu forte forma iuvenili tibi esse videris? Particula *μή* interrogantis est, perinde atque id. V, 74 *μή τὸ τις ἤρωτή* —; De pronomine *τι* addito (Pliad. A 522 *μή τι νοήση*, Bekk.) dixi nuper ad id. III, 5. Vocabulum *νέος*, quod quidem id. XXIX, 10 in versus thesi iambus habetur, hoc loco monosyllabum esse, vere contendit Curtius. Nam ad substituendum vocabulum *τύ* ducimur lacuna duarum litterarum, quae desunt in codice, in quo haec habemus:

ὦρα τοι φρονέσιν μή . . . ι νέος τὰν ἰδέαν πέλη.

Reliqua (*φρονέειν, πέλη*) debeo Bergkio, qui quidem lacunam sic explevit:

ὦρά τοι φρονέειν μή οὐ τι νέος τὰν ἰδέαν πέλη.

Tu quidem *μή αὐτε νέος* scribendum putavisti. Sed utut haec sunt, ad vocabulum *ἰδέα* quod attinet, haec, quae p. 14 disputavisti et de Theocritea (XXIX, 6) similitudine monuisti, pergrata et accepta mihi, Theocriti editori, fuerunt.

V. 16 haec est sententia, ut vidit Kreusslerus, qui versum duabus litteris deletis correxit: fac omnia, quaecunque faciunt ii probe, qui annos suos gustant, i. e. qui suae aetatis vitio laborant, quibus abstinendum est a libidine ac pruritu. Nempe scriptum est in codice

πάντ' ἔρδ' ὅσσα περ ἅ τῶν ἐτέων ἄρτια γεγευμένοι.

De participio *γεύμενοι* cf. Theocr. XIV, 51. Haec quum a Kreusslero mecum communicata sint, non mirabere, quod non acquieverim in Bergkiana versus conformatione a te repetita

πάντ' ἔρδ', ὅσσα περ οἱ τῶν ἐτέων ἄρτι γεγευμένοι.

Neque enim apte *ἄρτι* h. l. dicitur.

Vss. 17—18 hoc sibi volunt: „multis profecto aliis profuit oblivionem amorum petere“. Nam, ut ait Ovidius, Remed. 729, admonitu refricatur amor, vulnusque novatum scinditur. „Hos, qui oblivisci potuere, tu nunc imitare. Nam melius est „hospitem“ esse in puerorum amoribus et ab his plane liberum.“ (Propert. II, 2, 1

liber eram et vacuo meditabar vivere lecto. Horat. Od. I, 6, 19 cantamus vacui, sive quid urimur. Contra servitium dicitur amor a Tibullo, II, 4, 1 et Propertio, I, 5, 19). Imperfectum autem eo fere sensu positum est quo e. gr. in versu Niciae, arg. id. XI, vel apud Simonidem, fragm. 89 ἦν ἄρ' ἔπος τόδ' ἀληθές —. Cum significatione vocis ξείνος (ξένον, id quod Ahrensius id. XXVIII, 6 e coniectura posuit, scribere dubitavi) pariter a Soph. Oed. R. 219, quem Bergkiius testem citat, et a Moscho, III, 96 Mein., quem tu laudas, adhibitae libet etiam conferre Plat. Apol. p. 17, D ξένως ἔχω τῆς ἐνθάδε λέξεως. Versus in codice sic scripti sunt:

καὶ μὲν ἄλλος ἐλάθειτο δ' ἄρης λῶδιον ἔμμεναι
ξείνον τῶν χαλεπῶν παιδὸς ἔραν

Priorem horum versuum renovavit Bergkiius, quem uterque nostrum libenter auctorem secutus est, alterum ad similitudinem Theocr. XXIX, 10 (προγενεστέρῳ) idem Bergkiius sic scribi voluit:

ξείνον τῶν χαλεπῶν παιδὸς ἔραντι προγενεστέρῳ.

Quod legitur p. VI παιδὸς librarii culpa factum esse videtur p. V versum 2 comparantibus. Tu alia in fine (— ξείνον τῶν χαλεπῶν παιδὸς ἔρω μὴ πεποναμένον) substituisti. Alii alia excogitabunt. Nimirum et hic et in proximis haeremus in salebris.

V. 19 auctoritate Bergkii impulsus ἔρπει προγόνοις recepi pro his, quae sunt in codice

τῷ μὲν γὰρ βίος ἔρπει ρωὶ σαγόνοις ἐλάφω θοαῖς.

Necdum lectis in Bergkii libro iis, quae editor p. XII disputat, adscripseram paginae exempli mei sextae Anacreontea, quae olim ephelus Bergkii editionem Anacreonteorum primam (ubi id frgm. XLIX habetur) pertractans cupide combiberam, et quae tunc avus tuus, Godofredus Hermannus, sic in quattuor versus redegerat:

ἄτε νεβρὸν νεοθηλέα
γαλαθηνόν, ὅτ' ἐν ὕλης
κεροέσσης ἀπολειφθεῖς
ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη.

De imitationibus Horatianis (Od. I, 23, 1. III, 11, 9) tu dixisti, ipse haec scribi iussisti:

τῷ μὲν γὰρ βίος εἶρπ' ἴσα γονοῖς τοῖς ἐλάφω θοαῖς.

His ego Bergkii emendationem praetuli, at Curtius noster vehementer sibi istud tuum εἶρπ' placere affirmavit, dubitans tamen de versus clausula ac talia fortasse scripta fuisset adiciens:

τῷ μὲν γὰρ βίος εἶρπει πρότερον εἶσ' ἐλάφω θοαῖς.

V. 20 sic ego interpretor: „nunc quidem, amoris expers, hilarem ille puer agit vitam, sed aliquando mutabit hanc vitam ut mitis factus (ἄμερος) alii amatori

velificetur“ h. e. faveat (cfr. Cael. ap. Cic. div. VIII, 10, 2 ne velificatus alicui dicaris). Adiectivum ἄμερος de re eadem exstat id. XXIII, 3. Verbum ἀλλάσσει e coniectura Kreussleri adscivi; eo enim, modo litteris maiusculis utaris, ducit lectio codicis:

ΔΔΑΕΙ δ' ἑτέρα ποντοπόρην αὔριον ἀμέραν.

Bergkio haec placuerunt:

τλάσεται δ' ἑτέρῃ ποντοπόρην αὔριον ἀμέραν.

Tu, de ceteris tuam Bergkii sententiae adscribens, ἑτέρα retinere maluisti.

V. 21, qui comparationem quandam habet verborum Theognidis (v. 1305) γνούς ὅτι παιδείας πολωήρατον ἄνθος ὠκύτερον σταδίου —, in codice sic scriptus est:

οὐδ' ἄν γλυκερᾶς ἀνθεμονάβας πεδιμαλικῶ.

Ex his verbis Bergkii haec eruit, quae tibi quoque, mi Fritzschi, probabilia visa sunt:

οὐδ' αὐτῇ γλυκερᾶς ἀνθεμον ἄβας πεδ' ὑμαλικῶν.

Aeolicam praepositionem vel Theocriteum carmen XXIX, 38 (Ahr.) tutatur: cum voce ὑμαλικῶν Theocritea XXVIII, 3 (ὑμάριση) et XXIX, 20 (ὑμοιον, Meinek.) comparo.

Vss. 22—23 certae sunt emendationes Bergkii, quem uterque nostrum sequitur, nisi quod ego v. 22 τοῖ pro τῷ (Bergk.), μύελον pro μυελόν (Bergk.) propter cod. D. Theocr. XXVIII, 18 et v. 23 ὄρης (de quo cf. quae Bergkii ipse p. XIII copiosissime disputat) pro ὄρη (Bergk.) scriptum fuisse suspicor, et πόλλα ut supra, v. 12, propter cod. D id. XXVIII, 11 posui. Ceterum quam singulare Bergkii acumen in verbis priscis eruendis fuerit nemo non intelliget comparatis codicis ineptiis:

μένει τῷ δ' ὀπόθον καὶ τὸν ἔσω μιελὸν ἐσθίει

ὀμμι μνασκομένῳ πολλά δ' ὄρη νυκτος ἐνύπνι8

Aeolicum δμμισκασκομένῳ conspirat cum Theocr. XXIX, 26 ἀμνάσθην. Theocritum ipsum in verbis v. 22 agnoscesmus, ubi meminimus tertii idyllii versum 17, quo de Amore dicitur ὅς με κατασμήχων καὶ ἐς ὅστιον ἄχρῖς λάπτει vel id. VII, 102 ἐκ παιδὸς Ἄρατος ἦν' ὅστιον αἰθετ' ἔρωτι. In versu latino scripsi medullitus memor Plautini dicti, Most. I, 3, 86. Vergilius, Aen. IV, 66 „est mollis flamma medullas“ (cf. Ribbeck pag. 404. vol. II) Aen. VIII, 389 „notusque medullas intravit calor.“ Georg. III, 271, „ubi subdita flamma medullis“. Catulli versus similes in adn. ad Theocr. III, 17 p. 125 indicavi. His addere iuvat Ovid. Met. I, 473 „laesit Apollineas traiecta perossa medullas“. Hor. Epist. I, 10, 28 „certius accipiet damnum propiusve medullis“. Calpurn. III, 28 „sic intimus arsi ut nihil ulterius tulerim“. Quod autem v. 23 dicitur de insomniis, id mire congruit

cum sententia Horatii, Od. IV, 1, 37: „nocturnis ego somniis iam captum teneo, iam volucrem sequor te per gramina Martii campi, te per aquas, dure, volubiles“.

V. 24 sospitator utriusque nostrum iudicio Bergkii existit. Codicis haec verba sunt:

X
παύσασθ' δ' ἐνιαυτὸς οὐ χαλεπαὶ οὐχί

Initium versus habet collocationem eandem verbi *παύσασθαι*, quae est id. XI, 28 (*παύσασθαι δ' ἐσιδῶν τυ, καὶ ὕστερον οὐδὲ τί πα νῦν ἐκ τήνω δύναμαι*) et id. V, 138 coll. XV, 87.

V. 25 te Bergkiumque secutus verba codicis

ταῦτα χ' ἄτερα πολλὰ ποτ' ἐμὸν θῦμὸν ἐμεμψάμαν

servavi, nisi quod de Bergkii sententia *προτ'* correxi et Ahrensii, id. XXVIII, 6, exemplum imitatus accentum *ἐμον*, et *θῦμον*, perinde atque v. 12, non ignarus id. XXIX, 36, ubi Ahrensius quoque *θῦμῳ* scriptum edidit, et *πόλλα* novavi. De verbo *μέμψασθαι* cf. Theocr. II, 144.

Vss. 26—27 nihil est quod quisquam dubitet, quin emendati satis sint a Bergkio, qui ea, quae supra scripsi, ex his verbis codicis eruit:

ὁ δὲ τοῦτ' ἔφρ' ὅτις δοκεῖ μοι τὸν δολομάχανόν
νικάσειν ἔρον· οὗτος δοκεῖ μοι τᾶς ὑπὲρ ἄμμ'.

Verbum *δοκίμωμι* e. gr. in Sapph. frgm. 111 Ahr. et in inscriptione Memnonia (Lehr. 24, 7) legimus. Adiectivum *δολομάχανος* admonet nos de verbis Simonidis, frgm. 42: *σχέλιτε παῖ, δολόμητις Ἀφροδίτα τὸν Ἄρει δολομαχάνῳ ἰέκεν* et de descriptione Amoris Mosch. I, 8 sqq.

V. 28 hoc utique dici debuit, quod similibus verbis Catullus, LXI, 206, expressit: „ille pulveris Africi siderumque micantium subducatur numerum prius, qui vestri numerare vult multa milia ludi“ (cf. et Catull. VII, 7 — „aut quam sidera multa, quum tacet nox furtivos hominum vident amores“ — nostri cetera). Itaque scripsi — *δοκίμοι τοῖς ὑπὲρ ἄμμῶν εὐρεῖν βραδίως ἀστέρας ὀπποσάκις ἐννέα*, eaque verba sic interpretor: „qui se Amorem putat posse vincere, is putat se invenire numerum astrorum“, vel, ut poeta dicere maluit, „putat se posse astra invenire et dicere quoties exstet numerus ille sanctus novenarius“. (Eustath. II. p. 180, 18). Habes igitur idem dicendi genus, de quo dixi ad id. II, 69 (*φράξο — ἵκετο*). Quintil. X, 1, 62 Stesichorum quam sit ingenio validus materiae quoque ostendunt. De verbo *εὐρεῖν* cf. et Herod. I, 5, 1. Vt *ἐννέα* scriberem, persuasit mihi Curtius, quod hoc vocabulum proxime a verbis codicis abest. Quamquam *ὀπποσάκι μύριοι* mallet, si liceret per codicem, in quo haec habemus:

εὐρεῖν βραδίως ἀστέρας ὀπποσάκινενν ἐννέα.

Ex his verbum *εὐρεῖν* iure a te retentum esse iudico, de ceteris

vero dissentio. Suspiscaris enim poetam hoc ferè dicere voluisse: „qui amorem vinci posse putat, is stellas quoties novenae sint inveniri sive stellas numerari posse putabit.“ Quare scripsisti:

— οὗτος δοκίμοι τοῖς ὑπὲρ ἄμμεων

εὐρεῖν βραϊδίως ἀστέρων ὀπποσσάνιν εἶναιτο

Contra Bergkii: — οὗτος δοκίμοι τοῖς ὑπὲρ ἄμμεων

μετρεῖν βραϊδίως ἀστέρων, ὀπποσσάκι μεις νέα.

Vocabulum aeolicum βραϊδίως, a Bergkio abunde Testimoniis veterum munitum, quandam etiam auctoritatem ex Theocriteo vocabulo βράκη habet, id. XXVIII, 11. Cf. Sapph. frgm. 74 (23).

Vss. 29—30 nunc tua opera ad Bergkii studia accedente sanatos esse existimo, dummodo v. 29 κατ' ἄμμενα, id quod ego pro τὸν ἄμμενα scripsi, adsciscatur. Praepositionem κατὰ vel ab auctoritate Homerica (Iliad. Φ 406. Odyss. χ 328) satis habere praesidii existimo. Codex quidem haec proponat:

καὶ νῦν εἶτε θέλω. χορὴ με μακρὸν ἔχοντα τὸν ἄμμενα

ἔλκειν τὸν ζυγὸν εἶτ' οὐκ ἐθέλω ταῦτα γὰρ ἴωγα θεός.

Verum vidit Bergkii, quum versu priore εἶτ' ἐθέλω, id quod posterioris versus concinnitas postulat, et σχόντα reponeret: verum tu, mi Fritzschi, vidisti, quum extremo versu posteriore, ubi Bergkii ὄγαθος edidit, ὄγαθέ scriberes. Me vero articulus τὸν ante ἄμμενα vocabulum a Bergkio luculente vindicatum male habuit. Potius κατ' requirere videtur oratio. Vocabulum ἀμμήν ab Hesychio, ubi ἀνχήν pro ἀνλήν legendum, commemoratum, ratum est. Theognidis succurrit versus ille (1023) οὐποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ὑπὸ ζυγὸν ἀνχένα θήσω. Praeterea cf. Theocr. XXVII, 20. Theocr. XII, 15. Hor. Sat. II, 7, 91 eripe turpi colla iugo. Hor. Od. I, 33, 10 sic visum Veneri, cui placet impares formas atque animos sub iuga aënea saeva mittere cum ioco. Od. III, 9, 18.

V. 31 expolitus a Bergkio est, cuius nos sententiae accessimus. Codicis haec est varietas exigua:

βούλεται θεοσος καὶ διὸς ἔσφαλε μέγαν νόον.

Cum his Pseudotheocritum comparo, id. XXIII, 4—5, ubi vere Ahrensii correxit: κοῦκ ἦδει τὸν Ἐρωτα, τίς ἦν θεός, ἀλίκα τόξα χερσὶ κρατεῖ, πῶς πικρὰ βέλη ποτὶ καὶ Δίαβάλλει.

V. 32—33 haec a codice suppeditata sunt:

καῦτας κηπρογενῆας ἔμε μὲν φίλον ἐπάμερον

σμίκρας δενόμενον ἄνρας ὃ μέλλων αἶκα φορεῖ.

Veneris quidem commemoratio talis est, ut Moschum imitatore, (id. I, 21) loqui existimes. Sed aquam quis citius e pumice quam sententiam ex his reliquiis exprimi posse arbitretur. Tu tamen praeclare vicisti his, quae ipse adoptavi, erutis. Sed firmare, quae scripsisti, his rationibus liceat. Poeta quum id significare vellet, quod Tibullus, I, 6, 3 scripsit: „an gloria magna est insi-

dias (ἔσφαλε) homini composuisse deum? "mortalem hominem cum folio caduco vi ventorum celeriter ex arbore decusso comparat, usus imagine — ad quam tu ipse provocas — Homericæ, Pliad. Z 146: οἴη περ φύλλων γενή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν. φύλλα τὰ μὲν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει —. Haec extrema interpretationem parant verbis nostri poetae σμίκρας δειμένον αὔρας. Quam notum autem Graecis illud dictum Homericum fuerit vel e versus Simonidis (frgm. 85 = 60,2) intelligitur: ἐν δὲ τὸ κάλλιστοι Χίτος ἔειπεν ἀνήρ· „οἴη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν“. παῦροι μὴν θνητῶν κτλ. Mimnermus vero (frg. 2, 1) ἡμεῖς, inquit, οἷά τε φύλλα φνέει πολυανθῆος ἦρη ἔαρος — τοῖς ἰκελοι πῆχυνιον ἐπὶ χρόνον ἄνθεισιν ἤβης τερπόμεθα. Iam quod ego propter Flaccum meum (Od. I, 36, 16 „breve lilium“) in versu latino dixi „folium breve“, id Theocritus adiectivo ἐπάμερον eo facilius significare potuit, quod nemo non Graecus audito hoc vocabulo de mortalitate generis humani cogitabat. Audiamus modo Pindarum (Pyth. VIII, 92): — ἐν ὀλίγῳ βροτῶν τὸ τερπνὸν αὔξεται —. ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὐ τις; σκιᾶς ὄναρ ἀνθρώπος. Audiamus Aeschylum (Prom. 546): τίς ἐφαμερίων ἄρηξις; οὐδ' ἐδέρχθης ὀλιγοδρανίαν ἄικιν ἰσόνειρόν, ἧ τὸ φωτῶν δέδεται (Mein.) γένος ἐμπεποδισμένον; Audiamus Platonem (Legg. XI p. 923 A) ὧ φίλοι, φήσομεν, καὶ ἀτεχνῶς ἐφήμεροι. Denique his ipsius Theocriti verba addamus (id. XIII, 4) ἀμῖν —, οἱ θνατοὶ πελόμεσθα, τὸ δ' αὔριον οὐκ ἔσορῶμες. Ad extrema verba defendenda opportune memor fuisti Lysiae, Eratosth. § 28 πῶς ὑμεῖς εἰκὸς ἀποδέχεσθαι; Restat ut commemorem Bergkii coniecturas, qui versus ita conformavit:

καῦτας Κυπρὺν γενήσας· ἔμε μὰν φίλον ἐπάμερον
σμίκρας δειμένον αὔρας ἀνέμων οὐ δίκαιον φορεῖν;

Sed φίλον producta priore syllaba, vel potius φίλλον, ut placet Bergkio p. XV, nec mihi probabile est nec Curtio, qui quidem potius φύλον coll. Pliad. E 441 Soph. frgm. 518 Dind. (ἐν φύλον ἀνθρώπων μὲν ἔδειξε πατρὸς καὶ μητρὸς ἡμῶς ἀμέρα τοὺς πάντας) scriptum fuisse suspicatur, adhibitis etiam exemplis graeci vocabuli γένος Odyss. δ, 63 (ἀνδρῶν γένος ἐστὲ διοτρεφῶν) et Odyss. ο 267 ἐξ Ἰθάκης γένος εἰμὶ et vocabulorum Teutonicorum atque Anglicorum menschenkind, mankind. Atque haec fortasse tibi ipsi nunc arridebunt. Itaque fer sententiam et fac ut reliqua, quae de Theocrito recondita habes, mox publici iuris fiant mihique, dum operae typhothetae in extrema parte Theocriti mei occupati sunt, pateant. Vale. Scripsi Lipsiae Id. Ianuar. MDCCCLXVI.